 fortis. Olim em reges 7 tyrāni nullā habe-
 bant dīam. Un fortes reges tyranni dice-
 bant. Sz postea accidit tyrannos vocari
 pessimos 7 improbos reges luxuriose do-
 minationis. cupiditatē crudelissimā dīati-
 onē in pplis exercentes. a tyro qd est angu-
 stia. qz angustiant vel cruciant suos. In d
 tyrannicus. ca. cū. Et hec tyrannia. nīe. et
 hec tyrannis idis. i. crudelitas. fm hugl.
 Et scribit p duo. n. Itē a tyrān⁹ dicitur h tyrā-
 nulus. li. dimi. i. pu⁹ tyrann⁹.
Tyriaca. ce. pe. pd. dicitur antidotū serpentū q
 venena pellunt. vt pestis peste soluat.
Tyro grece. latine dicitur fortis. vel agustia. Et
 inde dicitur h tyro. ronis. i. nou⁹ m illes nouiter
 electus ad mīitiā. qz fortis ad h officiū so-
 let elegi. vel qz ad acquirēdā pbitatē mul-
 tum se angustiat. Itē tyro dicitur qlibet ignar⁹
 7 rudis cū aliquid incipit exercere. Et pd.
 p mā tyro p milite. sz h tyrus p regione eā
 cor. Un. Pro regione tyro pro forti milite
 tyro.
Tyrūculus. li. dimi. i. pu⁹ tyro.
Tyrocinū. nū. noua militia. officiū tyronis
 rudimētū. initiū. nouitas militie.
Tyrrhen⁹. ni. ppriū nomē ē. Et nō q Tyr-
 rhen⁹ 7 Lidi⁹ erāt duo frēs. qb⁹ cū lydia re-
 gio nō sufficeret. piecerūt sortes qz eozū
 cū pte ppli exiret. 7 ceciderūt sup Tyrrhe-
 nū. q cū pte lydorū venit in tuscā. 7 a suo
 noie dicitur ta ē tuscā tyrrhenia 7 tuscā tyrrhe-
 ni. Siltiter ab illis q cū eo venerūt tuscā di-
 cta est lydia. 7 etiam tuscā lydi. Vel a noie
 fratris. qz sepe nomen vni⁹ fratrl ponit p
 noie alteri⁹.
Tirius. si. m. g. dicitur generalit⁹ oīm olerum. vt
 herbarū medi⁹ frutex. 7 dicitur a terra. 7 sursum

qz a terra sursum pscēdit. Tirius etiā dicitur ba-
 culus vfram⁹ cū frōdib⁹ q vtūt i sacrificiū
 bacchi. Vel tirius gen⁹ cymbali in modū
 quadratę figurę factū. qz ab vtraq pte te-
 net. 7 tā apiendo qz claudendo sonat.
Tyrus. qdā insula. 7 qdā ciuitas phenicuz
 q p dicitur a phenicib⁹. i. q optima purpu-
 ra tingit q tyria dicitur Ad hāc ciuitatē loq̄tur
 Esa. xxiij. Et dicitur a tyro. qd ē fortis vel angu-
 stia. Un 7 ty⁹ angustia interpretat. In tyri-
 us. ria. riū. gentile vel patriū. Itē ty⁹ dicitur
 tur quidā serpens. Itē tyrus dicitur cale⁹. sz tūc
 ē pmitiuū.
Tisis vel poti⁹ ptisis. ē vlceratio in pulmo-
 ne 7 tumor. sic dicta grece. qz sit plumptio
 corpis toti⁹. In ptisic⁹. ca. cū. pe. cor. tali i
 firmitate detentus.
Titan. tanis. m. g. interpretat illuminationē vt
 illuminans. Un dicti olim titanes sunt q
 dam fortissimi viri. qli illuminatores mūdi.
 scz sua pbitate. Vel fm fabulas poetarū
 isti ab irata ptra deos terra ad ei⁹ vtilitatē
 creati dicunt. Un 7 titanes dicti sūt a titā
 greco. i. ab vltione. qz qsi vlciscende matrī
 frē eā. ptra deos armati existeret. Et etiā
 dicti sunt gigātes. Et h titanus. ni. in eodē
 sensu. Et inde titan vel titanus dicit⁹ ē sol.
 qz fuit de genere titanorū. vel qz illuminat
 mūdū. Inuenit etiā h titā ideclī. Un Ju-
 dici. xix. Nec filij titā pcussērūt eū Et p. pe.
 gti titanis. titana em. pd. ta. Un Lucan⁹ i
 pmo. Aer 7 longi voluent titana labores.
 Greca em in an. crescentia in grō. pducūt
 a. mediam añ n. vt titanis. Et facit actūs i
 em. 7 in a. titanem v. l. titana.
Titanis. titanis. vel titaneos qdaz ciuitas
 egypti vbi facta sunt pdigia q legunt. Et
 dicitur sic a titanib⁹. qz eā edificauerūt titanes.
Titanus. ni. ē idē q titan. Itē a titan dicitur titā-
 nus. na. nū. 7 hec titania. nīe. i. luna.
Titillio. ca. cū. pe. cor. i. titillatiōe plen⁹. f.
 q incitat. vel q in citat ad luxuriā. et dicitur a ti-
 tillo. las.
Titillatio. onis. luxurię incitamentū carnis
 incitatio. inflamatio.
Titubatio. ē cū ego hinc inde duo cōtraria
 sciam. nec tñ alicui eozū qz dubito creduli-
 tatem meā applico. vñ titubare dicitur qz quā-
 do suspitione habet sup eo de qz p̄tenditur
 vt in. c. in nra p̄sentia. de. p̄cū. in. glo. iij.
 Etiā titubare est defectuose loqui vt igno-
 ranter. In titubans p̄ignorante habēd⁹ ē
 L. de cōdi. indebi. l. vlt. et. ff. de li. ho. ex-
 bi. l. iij. s. is. qui. ar. c. dñs. d. secūdis. nup.
 vbi. glo. p. 7 ptra.

Titulus. li. dicitur a titā. quod est sol vlluminās. qñ titanus. i. illuminās. qñ illuminat librū. Sicut em̄ sol mundū vel quecūq; obscura illuminat. ita titul⁹ librū. et ei⁹ sequētia illu minat. Vel titulus dicitur a Tyto liuitio qñ p̄m librū suū p distinctiones diuisit. et singulis titulū apposuit. vel dicitur titulus qñ tetulus. a theta figura qñ sic facta. qñ olim in fronti bus damnatorū imp̄mebat. Sic em̄ in illa figura reddebatur hō noscibilis. sic p titulu liber cognoscit. Vñ sic diffinit. Titul⁹ est breuis annotatio eorū qñ diffusius in sequē ti ope p̄tinent. Titulus etiā dicitur nota qñ cau sa breuitatis apponit dictionib⁹. Titulus etiā dicitur inscriptio vel signū laudis et hono ris. vel laus. qñ olim in imaginib⁹ laudes nobiliū intitulabant.

Titulus qñq; signū dicitur. qñq; cā acq̄rēdi do minij. qñq; ipsa ecclia. vt titul⁹ sancti p̄de tri. qñq; clericatus. qñq; canonicatus i ali qua ecclia. vñ dicitur qñs ititulari. i. clericari. vñ canonicari. Itē qñq; accipit p cā in habi li ad dominij trāslationē. vel p locatione. vt. c. ecclie. sc̄tē. ij. vt lite pen. Itē titulus est iusta causa possidendi qñ nostrū ē. et sic erigit iustus titulus in vsucapione. et p̄s cript. c. si diligenti. de p̄scrip. et glo. sū. x. vj q. iij. Etia titulus possessorij causam tribu it p̄scribendi. vt. c. j. d. p̄scrip. li. vj. et vñ de p̄ncipalibus requisitis ad p̄scriptionez. B̄ etia titulus qñq; ordo ecclesiastic⁹ que libet dignitas vel p̄latio. et sic dicitur qñs inti tulari in aliq; ecclia. i. ordinari. fm̄ Bern. in. c. dudū de elec. sup vbo intitulatā. et ff. si cer. pe. in rub.

Titulus possessionis vel possidendi ē initiū possessionis. et cā q̄re qñs possideat. vt em p̄tio. veditio. donatio. pmutatio. qñ p em p̄tionē et silia incipim⁹ possidere.

Titus. ti. discipul⁹. fuit p̄auli apli. et iterp̄ tat q̄res vñ bon⁹. seu lutū. siue etiā lutari⁹.

ante D

Tobias. bie. qñ sanctus vir cui Raphael archangel⁹ reddidit visum.

Toda. de. auis ē. qñ nō habet ossa in tibijs. qñ semp ē in motu.

Todinus. na. nū. dicitur ille qñ velociter todet. et mouet ad modū tode auis.

Todonus. ni. i. gall⁹. et dicitur a toda.

Tophus. phi. m. g. dicitur lapis asper et caui no sus. et dicitur a todeo. qñ ambulantes sup se to det. Vñ tophulus. li. dimi.

Toga. ge. dicitur qñ tega. a tego. gis. qñ velamē to sui corpus tegat et cooperiat. ē palliū pu

rū et forma rotunda etiā et fusiore et qñ vn dante sinu. Et erat olim cōis vestis roma norū. Vñ togatus. ta. tū. i. toga indut⁹ vel togā hñs. Vñ et togatē dicebant quedam comedie de vilib⁹ psonis a romanis facte qñ null⁹ erant p̄cij. Et toga vestis erat cōis et ideo vilis. Vñ Iuuenal. Impune ḡ mi hi recitauerat ille togatas.

Togatos dicimus aduocatos. a veste toga noiatos. quā habebāt olim aduocati. diu sam a ceteris vt p h cognoscerent.

Togiferiū. rñ. locus vbi scholastici dispu tant. et videt cōponi a toga et ferio.

Togilla. le. dimi. i. pua toga. Itē togilla dicitur mantile.

Togripyriū. pyrñ. i. pura toga.

Togula. le. dimi. i. pua toga.

Tolerabilis. lis. p. t. et b le. qñ valet vel de bet tolerari. Et cōponit itolerabilis qñ nō valet vel debet tolerari.

Toles. lis. dicitur a tol⁹. Et toles sunt tumores circa yuā stantes. has vulgo p diminutio nē tusillas vocāt. he i faucib⁹ solēt turgescē

Tollinū. ni. lignū puteoz. qñ haurit aqua.

Tolus. li. m. g. sūmitas tēpli. emines rotun ditas. pp̄rie qñ dē tol⁹ ē velut scutū breue. qñ in medio tecti ē. in q trabes coeunt.

Tomaculū. li. n. g. dicitur a tomos. Et dicit⁹ to macula. i. testina. pp̄t diuisiones et sectiōes.

Tomos grece. latine dicitur diuisio vel sectio vñ incisio. Vñ apud nos tom⁹. mi. dicitur idez. Et tomos etiā dicitur liber vñ volumē. pp̄t mltas diuisiones et replicatiōes cartarū.

Ton dicitur altitudo. vel totū.

Tonabulū. li. i. sonus vel tintinnabulū.

Tonitrus. trus. m. g. et b tonitru indeclina. in singulari. Vñ plāli hec tonitrua. trui a a tonitru abltō. addita um. vñ Apoc. xix.

Et audiui vocem tonitruum magnoz. Et hoc tonitruū. trui. neu. ge. Vñ Job. xxvj

Quis poterit tonitruū eius magnitudinis intueri. Idez signat. Et cōponunt ista tria

noia a ton⁹. ni. qñ ē sonus. et terreo. res qñ hñdi sonus valde terret. Vñ Ihdor⁹ ety.

xij. Tonitruū dictū. eo qñ son⁹ ei⁹ terreat.

Tā tonus sonus dicitur. qñ interdū tam graui cōcutit oia. ita vt celū discussisse videatur

quia cum procella vehementissimi venti nubibus se repēte immiserit. turbine inua

lescente exitumq; querente. nubem quam exciauit impetu magno p̄scindit. ac sic

cuz horrendo fragore deferit ad aures. Ex mirari qñ nō debet. cū vesicula qñuis par

ua. magnum tamē sonum displosa emittit

Lux autē q̄ apparet an̄ tonitruū fulgor vo-
caf. q̄ ideo an̄ videt. q̄ clarū lumē est. To-
nitruū at̄ tardī⁹ ad aures puenit instar se-
curis arborē pcul cedētis. cui⁹ q̄dā an̄ cer-
nis ictū q̄ ad aures sonit⁹ pueniat.

Tonsa. sc. d. rem⁹. qd̄ r h tonsus d. s. poti-
us tonsa. vel tonsus. d. palmula remi que
aquā pcutit. r d. a tondeo. des. vela tun-
do. dis. q̄si tonsa. v̄l q̄si tonsus. eo q̄ aquā
tundat.

Tonsilla. lē. dimi. i. pua tonsa. Tonsilla eti-
am d. forpicula. Et tonsilla d. vncus fer-
reus vel ligne⁹ ad quē in litore funes nauī
um alligant. Vñ Ennius. Tonsilla rapi-
unt p̄figunt litus ad vncos.

Tonsoriū. rj. idē est qd̄ tonsstrina. scz locus
vbi tondef.

Tonsor. sōis. q̄ radit barbas. a tondendis
capillis dictus. Vñde tonsrix. tricl. muta-
ta tor in trix. in̄posita. t. cā euphoniē. Vñ
hec tonsstricula. lē. diminutiū. Et hec ton-
strina. nē. officina. vel dom⁹. v̄l locus in q̄
tondef.

Tonsula. lē. dimi. i. pua tonsa.

Tonus. ni. m. g. i. sonus. r d. a tono. nas.

Toparcha. che. vel h toparchus. chi. i. p̄n-
ceps sup totū. v̄l sup aliquē locū. r d. a to-
pos. qd̄ ē totū vel locus. r archos. quod ē
p̄nceps. Vñ hec toparchia. chie. pe. acuta
ei⁹ ptās. Vel toparchia pōt dici locus p̄n-
cipatus. Vñ tres toparchie dicunt trium
locozū p̄ncipatus.

Topagius vel topagion. gēma ē ex virenti
genere. oīq̄ colore resplendēs. inuēta p̄us
in arabie insula. in q̄ trogodite p̄dones fa-
me r tempestate fessi. cū radices herbarū
effoderēt eā eruerūt. q̄ insula postea nebul⁹
coopta tandē r a nauigantib⁹ ē inuenta. r
ob h locus r gēma nomē ex cā accepit. Vñ
topagim. trogoditarū lingua siq̄tionez ha-
bet q̄rentis. Vñ r insula dicta ē topagius.
vel lapis dictus ē topagius. Et vt dic̄ glo.
Apoē. xxi. Topagi⁹ q̄ rarioz eo p̄statioz Et
habet duos colores ex auro r etherea cla-
ritate maxime lucēs. cū splendore solis tā-
gitur supans oīm gēmarū claritatē. i aspe-
ctū suū singulariter puocans aspicientes
Quē si polis obscuras. si naturē relinquis
clarioz ē. r nihil eo charius regibus inter
diuitias.

Topicus. ca. cū. i. localis. r d. a topos. qd̄
est loc⁹. Et hec topica. cē. Et pl̄lit hec to-
pica. coz. p quodā libro in q̄ tractat de lo-
cis. Itē topos vel ton. d. totū. Vñ topic⁹.

ca. cū. i. totalis. Vñ r p̄dier⁹ liber pōt dici
topica. q̄si totalis. q̄ ibi de totis vel de lo-
cis oīb⁹ tractat. r cor. pi.

Topos d. totū vel locus.

Toragiū. gij. i. ornatus vel munit⁹.

Torcular. larl. n. g. vel h torculare ris. i. cal-
catoriū. r d. a torqueo. ques. q̄ ibi vūc et
oliue calcant. r extortē exp̄munt. Dicunt
tū qdā q̄ torcular pp̄ie d. plū. q̄ vūc cal-
catē exp̄munt. Et p̄d. pe. nti q̄ gti.

Toreuma. matris. n. g. ē tornatura. v̄l torna-
tū vas. vel q̄qd dola⁹ et tornat siue vas
siue lectus. siue aliud. r d. a torno. nas. Et
est toreuma triū syllabarū. Et cor. p̄mam.
Vñ p̄rudēt⁹. Fultra mero veteriq̄ torcu-
ma roze rigan⁹.

Tormentū. ti. n. g. d. q̄si torquimentum. a
torqueo. eo q̄ torquēdo mentem inueniat
Itē tormenta dicunt etiā instrumēta belli-
ca ad dirimenda opida r ciuitates. vel q̄
torqueāt interius resistētes. vel q̄ torque-
ant lapides r etiā tela.

Torneamēta dicunt qdā nundine vel ferie
in q̄b⁹ milites ex edicto puenire solēt. r ad
ostensionē viriū suaz r audaciē temere cō-
gregari v̄l p̄gredi. vt. c. f. de torneā. Et cā
phibitiōis ē piculū aiaz. r mors hoīm in-
de pueniēs. vt ibidē notat.

Tornus. ni. m. g. qdā instrumētū cū q̄ va-
sa tornat. Vñ h r hec tornatilis. r h le. pe.
cor. habile ad tornandū.

Torpedo. dinis. f. g. i. torpor. r d. a torpeo
pes. r p̄d. pe. nti. Torpedo. etiā ē qdā
genus piscis. sic dicta. q̄ corp⁹ torpescere
faciat. si q̄s eā viuētē tangat. Et narrat
p̄lini⁹. Tāta ē vis ei⁹. vt etiā aura sui cor-
poris afficit mentē r hoīs mēbra.

Torpid⁹. da. dū. i. stupid⁹. Vñ torpidulus.
la. lū. i. aliq̄tulū torpid⁹.

Torpor. poris. i. stupor. pigritia. torpedo.
Torquatus. ta. tum. i. torque ligat⁹ r orna-
tus. Et hinc quidam romanus dictus est
Torquatus. quia singulari certamine quē-
dam gallum deuicit. ei⁹ torquem aureū
abstulit.

Torquis. quis. m. g. r hec torques. q̄s. f. g.
id ē. ligamē tortū. vel aureus circulus cir-
ca collū. a collo vsq̄ ad pectus descendens
sic dictus. q̄ tortus sit. r ē ornamētū viro-
rum. Et nō q̄ torq̄s mas. ge. ē magis i vsu
fmi grāmaticos. s̄ hec torques in seminio
genere sepe inuenit in theologia. Vñ Ju-
dicl. viij. p̄deter torques aureas cameloz
Nō vsus differētiales. p̄deteris ē sp̄inter

pprie paritē q̄ monile. *Ornat* collī sūt tor-
q̄s aurī in aures. *Anul* ē manuū. sūt armil-
lē scapularū. Atq̄ perichelides exornant
brachia nymphis.

Torrens. entl. m. g. ē fluui⁹ vel aq̄ veniens
cū impetu ex imbrib⁹ repentina magnum
hūs incrementū. s̄z adueniēte estate. calore
solis torrescit. 7 arefcit 7 desiccāf. *Uñ* pro-
pheta. *Cōuertere dñe captiuitatē nr̄az* sicut
torrens in austro.

Torridus. da. dū. i. velox vel tost⁹. *Uñ* in
hymno. *Cui⁹ corp⁹ sanctissimū in ara cru-*
cis torridū. *Uñ* h̄ torriditas. tatl. 7 cor. pe.

Torris. rl. m. g. d̄ lignū semiustū tractū a fo-
co 7 extinctū. 7 d̄ a torreo. res. *Idē* 7 hec-
ticio. onis. s̄z sic dicāf. etiā i igne dū ardet.
Uñ *Amos*. iij. *Et facti estis q̄si torris* ra-
ptus ab incendio. *Itē Zacharie*. iij. *Num-*
qd nō iste torris erur⁹ de igne ē. *Uñ* torricu-
lus. li. dimi. i. pu⁹ torris.

Torfores. i. torfores vel cruciatores. 7 d̄ a
torqueo. ques.

Torta. re. f. g. ē qdā gen⁹ cibi vl⁹ panis qd
vulgo ita d̄r. *Uñ* tortula. le. di. i. pua torta.

Tortio. onis. ē torquēdi actio interior itesti-
norū afflictio. *Itē* s̄gt tortio. 7 vtrūq̄ de-
scendit a torqueo. ques.

Tortores. i. tortores.

Tortuosus. sa. sū. i. flexuosus. vel iniuriō⁹
extra rōnē. *Uñ* hec tortuositas. tatis.

Tortus. tus. tui. i. tortio. vel iniuria. 7 d̄ a
torqueo. ques. *Et* tortus. ta. tū.

Torus. ri. m. g. i. deflectio 7 pulposa extan-
tia carniū. sic circa culū 7 brachia. 7 d̄ sic.
q̄ ibi viscera torta videant⁹. *Uñ* torol⁹. sa.
sū. i. pinguis 7 toris plen⁹. 7 supb⁹. *Uñ* hec
torositas. tatl. *Inuenit etiā thor⁹ p lecto.*
vide. s̄. loco suo.

Torvus. ua. uū. i. crudel⁹ tribilis. 7 d̄ a tor-
tus. 7 vult⁹. eo q̄ sit torto vultu 7 truculē-
to. vtl⁹ *Torua* leena. *Uñ* hec toruitas. tatis.

Tostus. sta. stū. i. assar⁹. perust⁹. pist⁹. sicca-
tus. 7 d̄ a torreo. res.

Tot. ois ge. plālis nūeri. 7 idecli. 7 d̄ a ton.
vel topos. qd ē totū.

Totidē. i. eiusdē nūeri. 7 ē idecli. ois ge. plis
nūeri. 7 cōponit a tot 7 idē.

Torus. ta. tū. d̄ a tot. 7 ptinet ad magnitu-
dinē. vt *Totū* corp⁹. *Sz* oē ad multitudi-
nē. vt *Dis* hō. *Itē* oīe in diuersis ptib⁹
ponit. *Totū* sine ptib⁹ debet esse diuersis
neca pte integē d̄ria tot⁹ in rem nois cui
adiūgit. s̄z nllā ei⁹ ptē pprehēdit. vt *Tor⁹*
sortes. i. *Sortes* 7 q̄libz ei⁹ ps. *Dē* vō quāli

bet rē nois cui adiūgit pprehēdit *Et* pd-
to. *Uñ* d̄dā. *Pandere* sic totū melius q̄
pandere vortuz. *Uñ* h̄ 7 hec totalis. 7 h̄ le.
Uñ hec totalitas. tatis.

Toricū. ci. n. g. qdā gen⁹ veneni. qd ex suc-
co tati arboris expmit.

ante R

Trabilis. p. t. 7 h̄ le. qd ē trabis. vel qd ad
trabē ptinet. 7 d̄ a trabs. *Et* hec trabil. i.
Trabaria. rie. f. g. nauis longa 7 stri (trabs
cta. 7 d̄ a trabs. *Trabarie* dicunt minute
naues q̄ ex singulis trabib⁹ cauant⁹ q̄ aliter
litorarie dicunt vl⁹ canduce. ex vno ligno
cauate 7 facte. 7 dicunt canduce. q̄ a q̄-
tuor vsq̄ ad decē hoies capiant.

Trabea. beg. f. g. ē gen⁹ vestis impialis q̄ so-
li impatores utebant⁹. 7 d̄ a trābeo. beas
q̄i trābea. q̄ vltra alios bīm desigbat. *Uñ*
trabeat⁹. ta. tū. i. trabea idur⁹. *Uñ* legif⁹ q̄
dñs nr̄ fuit indutus trabea carnis. i. regia
veste carnis. *Trabea* etiā d̄r vestis p̄sula-
ris. vt. *L. de p̄suli*. l. j. li. xij.

Trabea etiā d̄r portic⁹ tecta trabib⁹. *Et* p.
pe. trabeat⁹. *Uñ* *Quidi⁹*. xij. meta. *Digni-*
or ē qualis trabeati forma quirini.

Trabs. bis. f. ge. d̄ a traho. bis. q̄ ab vno
pariete trahit ad aliū. *Vel* trabs dicunt
a transuerso. q̄ in trāsuerfo positē vtroq̄
parietes cōtingunt 7 ptinēt. *Veteres* etiā
hec trabs p trabs dicebāt.

Tracon. onis ē mear⁹ subtrane⁹. *Uñ* qdam
Terrarū tracones. aialia dico dracones.
Uñ qdā putauerūt debere dici in psalmo.
Dracones 7 omēs abyssi. *Sz* tracones d̄r
Tractabil. p. t. 7 h̄ le. qd de facili (cōif. p. t.
pōt tractari 7 duci. *Uñ* tractabiliter adū.
Tractatorij. erāt viri q̄ tractabāt 7 p̄tracta-
bant. i. manib⁹ p̄tigerūt 7 palpauerūt aia-
lia publica et eq̄s sacro vsui deputatos.

Tractator. ic dicunt l̄re impetratē p licētia
vehendi aialia. vel l̄re datē licentiē ad tra-
ctandū 7 puniēdū criminosos. fm *Acurl*.
L. e. ti. in rub.

Tractatus. tus. tui. ē vni⁹ rei multiplex ex-
positio. eo q̄ trahat sensum in multa. *Et* fit
specialit⁹ ad semetipsuz. *Sermo* vō altera
eget psona. *Verbū* aut ad oēs. *Uñ* dicif⁹.
Verbū fecit ad pplm.

Traditio. onis. f. g. ē būana pstitutio cōsu-
lens cupiditati hoīm. 7 d̄ a trado. is. *Uñ*
i *Auroza*. *Tāq̄* nō loquēs traditiōe breui
Traditor. torl. i. i. pditor. vt *Judas* fuit tra-
ditor. i. dator. vel pditor.

Transitus. tus. tui. i. iter. via q̄ trāfiri pōt.
 7 d̄ a transeo. is. Et trāfir. ta. tū. pe. cor.
Unde Deutl. iij. Transito iordane. Item
Act. xix. Transita macedonia.
Trāslatio. onis. f. g. i. vltra latio. trāspōta-
 tio. 7 d̄ a trāssero. fers. Itē trāslatio. i. ex-
 positio snie p aliā linguā.
Translatio ē de sede ad sedē facta cōmuta-
 tio. vt cū eps de vna sede ad aliā transferē
Un qd̄ h̄ d̄ translatio. alibi d̄ mutatio. vt
 vij. q. j. mutationes.
Translata legata dicunt q̄ testator legeta-
 rio adempto transfert in aliū. s. auferendo
 ab eo cui pmo legauerat.
Translator. tori. m. g. q̄ de vna lingua ver-
 ba trāssert in aliā.
Translatus. ta. tū. i. traduct⁹ siue vltra du-
 ctus. trāspōtat⁹. 7 d̄ a trāssero fers.
Transstrū. stri. n. g. d̄ a trāssueto. tis. Et di-
 cunt transstra tabule vbi sedēt remiges. qz
 in trāssueto nauis sunt posite. **Un** Ezech.
 xxvij. Transstra tua fecerunt tibi ex indico
 eboze.
Trapeta. tē. f. g. 7 h̄ trapetū. ti. i. mola oli-
 uaria. scz vbi oliue terunt. vel inc⁹ numu-
 lariozū. vel vas in quo herbe cōterunt. et
 d̄ trapeta. q̄si terepeta. qz assidue petif et
 terat.
Trapezia. gie. l. trapezetū. ti. d̄ mēsa numu-
 lariozū.
Trapezeta. tē. vel trapezita. tē. i. eodē sensu
 scz numulari⁹ vel mensarius q̄ pecuniā su-
 per mensam dinumerat. **Un** Gregori⁹ in
 omel. ephie. Trapezitas multarū gentiuz
 punciē ignorant.
Trededim ois ge. plis nūeri indecl. 7 diciē
 a tres. 7 decē.
Treden⁹. na. nū. d̄ a trededim. Et tredena-
 rius. ria. riū. 7 trededies. adū.
Tremissis. sis. m. g. ē tertia ps solidi. 7 dici-
 tur tremissis. qz ter missus solidū facit. vel
 ē nomen vncie certi ponderis 7 q̄ntitatis.
Tremulentus. ta. tū. i. tremore plenus.
Tremul⁹. la. lū. i. trepid⁹. 7 d̄ a tremo. Itē
 tremul⁹ li. d̄ qdā arbor cui⁹ folia sp̄ tremēt
Trenarus. ri. m. ge. 7 in plali. hēc trenara.
 ozū. mons siue vallis vbi descēsus ē ad in-
 feros. 7 sepe ponit p̄ ipso descensu ad infe-
 ros. 7 p̄ inferno. **Un** trenarari⁹. ria. rium.
 Et nota q̄ qdā dicūt p̄ eodē mōte h̄ tre-
 narus. s. male. 7 cor. na. trenarus.
Tressis. sis. m. g. i. tres oboli. vlt̄ p̄ciū triuz
 obolorū. vel triū assū appretiat⁹.
Treuga. ge. f. g. ē sc̄ptio regal. vel securitas

p̄stita psonis 7 reb⁹ ad tēp⁹. discordia nō
 dū finita. vt de treu. 7 pa. c. j. **Un** h̄ treuga-
 rius. rij. q̄ treugas facit inf aliq̄s. Et treu-
 garius. ria. riū. ad treugā ptinēs.
Triambos. i. triūph⁹. vel iudiciū triplex.
Triangul⁹. la. lū. i. tres angulos h̄ns. et d̄
 a tris. 7 angul⁹. **Un** triangular⁹. ta. tū. idē.
 Et substātiue d̄ triangul⁹ p̄ t̄i figura.
Triari⁹. ria. riū. d̄ q̄ ē sup tres p̄stitut⁹. vel
 q̄ t̄tio loco p̄stitut⁹ i exercitu. Idē 7 porti-
Tribrach⁹. chi. ē qdā pes cō (tor signoz d̄.
 stans ex trib⁹ breuib⁹ syllabis. 7 d̄ a trī. qd̄
 ē tres. 7 brachos. qd̄ ē breue. q̄i p̄stās ex tri-
 bus breuib⁹ syllab. vt d̄ns. **Un**. Pes tri-
 brachus breuib⁹ postulat ire trib⁹.
Tribulis. lis. p. t. 7 h̄ le. i. de eadē tribu. Et
 p. bu. **Un** Orati⁹ in epi. Et cū pilleolo so-
 leas p̄uua tribulis. Et inde cōponit cōtri-
 bulis. Sz tribulo. las. cor. bu. **Un** quidaz
 Nō hoies tribules q̄s tu scis eē tribules.
Tribulū. li. n. g. qd̄ 7 hēc tribula inuenit ē
 instrumentuz q̄ fruges terunt. 7 d̄ a tero.
 ris. **Un**. j. Paralipo. xx. Fecit sup eas tri-
 bulas 7 trabas.
Tribul⁹. li. m. g. ē gen⁹ spinaz. **Un** Gen. iij
 Spinaz 7 tribulos frē germiabit tibi. Et
 d̄ tribul⁹. q̄si tangētes se tribulās.
Tribunalis. lis. p. t. 7 h̄ le. 7 h̄ tribunal vel
 tribunale. lis. d̄ sedes iudic. 7 d̄ a tribun⁹
 q̄si sedes tribunū. vel loc⁹ in alto p̄stitutus
 vñ vniuersi audire p̄nt. 7 d̄ sic a tribuo. is
 qz inde a sacerdote p̄cepta viuēdi tribuūt
 Vel d̄ a tribus. qz tribus ad illā sedē puo-
 cant. Et pd. pe. tā gti q̄ nti.
Tribunal fm Hoff. ē loc⁹ maior iudicuz q̄
 h̄nt merū impiū fm Aco. in sū. L. de iur.
 om. iudi. Vel ē loc⁹ vbi iudex p̄ tribunali
 sedet. q̄ alias for⁹ d̄. de v. sig. for⁹. 7 ē glo.
 in. c. de re. iudi. li. vj.
Tribunus. ni. m. g. d̄ a tribuo. is. eo q̄ mili-
 tibus vel plebi iura vel opē tribuat. Item
 tribunicius. cia. ciū. Et h̄ 7 hēc tribunalis
 7 h̄ le. Et h̄ tribunat⁹. tus. tui. dignitas vlt̄
 officiū tribunū. Itē a tribuo. buis. d̄ h̄ tri-
 butū. ti. Vel d̄ tributū vel tribun⁹ a trib⁹.
 qz p̄ singulas trib⁹ tributū exigebat. sicut
 nūc p̄ singula territoria. 7 cui p̄soluebatur
 tribunus dicebatur. Unde qui legit tribu-
 tum. tribunus etiam dicitur fm Hugl. Sz
 in grecismo d̄. At qui triginta sub se tenet
 ille tribun⁹. Quiqz tributa legit. ille tribu-
 nus erit. **Un** glosa autez super illud primo
 Machab. iij. Et post hēc p̄stituit Judas
 duces populi. tribunos. et centuriones. et

pentacōtarchos ⁊ decuriones. vbi dīc glo
sa. Tribunos appellāt illos. q̄ mille mili-
bus p̄erant. q̄s gr̄ci chiliarchas vocant.
Centuriones. q̄ centū p̄entacōtarchos.
q̄ q̄nḡinta. Decuriones. q̄ h̄nt decē. Vñ
q̄ille tribunus h̄z. gr̄ce chiliarcha vo-
cat. Centurio centū bis q̄nḡ decurio du-
cit. At q̄nquaginta pentacontarchus ha-
bebit. Et componit tribunus cum gr̄o ple-
bis. ⁊ d̄r h̄ tribunus plebis. hui⁹ tribuni-
plebis. Et nota q̄ aliū ē tribunus plebis in cō-
positione. ⁊ aliud extra compositione. q̄
extra cōpositionē pōt venire p̄ tribuno cu-
iuslibet plebis. sed in compositione tribu-
nus plebis venit p̄ illo solo q̄ habebat tri-
bunatū in plebe romana.
Tribunus plebis. ē plebeius magistrat⁹ sic
dictus. q̄ populus roman⁹ olim erat diui-
sus in tres ptes. ⁊ ex singulis singuli tribu-
ni p̄creabant. vel q̄ tribuni suffragio con-
stituebant.
Tribunus q̄ritū. i. militū erat rege exacto
aū dictatores. q̄ p̄fuit equitibus. postq̄ p̄-
tim ex plebe. ⁊ partim ex patrib⁹. alias p̄ti-
bus iudiciū militum creati sunt tribuni cō-
sulari potestate.
Tribus. bus. bui. f. g. i. p̄genies. ⁊ d̄r a tris
q̄ ē tres. q̄ in p̄ncipio romani trifarie fue-
rūt a Rhomulo dispartiti. In senatores mi-
lites plebeios. q̄ trib⁹ nūc multiplicatē no-
mē pristinū retinēt. Et facit trib⁹. tribub⁹
in d̄tō ⁊ abltō plalib⁹. In tributim pe. p.
adū. i. p̄ singulas trib⁹. vñ de tribu in tribū
Vñ d̄rati⁹ in lib. fmo. p̄rimores ppli ar-
ripiunt pplinq̄ tributim.
Tributū. ti. n. g. d̄r a tribuo. buis. Vel fm
p̄sidōz a tribu. eo q̄ antea p̄ singulas tri-
bus exigebat. sic nunc per singula territo-
ria. Sicut aut in tres ptes diuisum fuisse po-
pulum romanum constat. vt qui p̄erant in
singulis partibus tribuni dicerent. Unde
⁊ sumptus quos dabāt populi. tributa no-
minauerunt.
Tributū. ti. ē cēsus q̄ p̄stat rōe solij p̄p̄ij a
possidētib⁹. D̄r etiā tributū ideo. q̄ mili-
tibus tribuebāt. q̄ expeditiōi publice va-
cabant. vñ ⁊ stipendiū appellat. vt. ff. de
v. sig. l. ager.
Tributari⁹. ria. riū. q̄ soluit vñ debet tributū
Tricha. che. f. g. i. deceptio. Et tricha. i. me-
retrix. Et tricha. i. impedimētū. Et tricha
.i. mora. Et tricha. i. radix. Et tricha. id ē.
inuolutio capilloz.
Triceps. pitis. habēs tria capita.

Trichozū. ri. ⁊ h̄ trichozū. ri. i. locus iuxta
ignē cā prandij habēs tres cameras vñ ab-
sidas. ⁊ cor. cho.
Tricliniū. nū. n. g. i. dom⁹ trina sessione con-
uiuantiū ordinata. Solebant em̄ antiq̄ in
clinis comedere. ⁊ tres lectos vel tres ordi-
nes lectorū disponere. In vno quoq̄ co-
medebant dñs ⁊ dñia. In secundo familia
In tertio hospites. ⁊ talis domus diceba-
tur triclinium.
Tricolor. loris. vide. s̄. in color. loris.
Tricolos. vel tricolon. vide. s̄. in colon.
Tricuspis. pidis. cōis ge. d̄r a tris ⁊ cuspis.
vt Tricuspis lancea. quē h̄z tres cuspidēs
Et licet inueniatur in neutro genere. vt in
Ouidio. p̄positoq̄ tricuspidē telo mulcet
aqua. Hoc tñ non est nisi per figuram fm
p̄ristianū.
Tridens. dentis. m. g. d̄r a tris q̄ est tres.
⁊ dens. q̄si tres habēs dentes. Et inuenit
q̄nḡ p̄creagra siue fuscūla. ⁊ sic ponit
p̄ueri. iij. Item p̄ rusticano instrumēto.
sicut ē furca ferrea. vel aliq̄d sile cū tribus
dentib⁹. ⁊ sic ponit. j. Regl. xij.
Tridental. talis. n. g. quoddam vas ⁊ dici-
t⁹ a tris. ⁊ dens. q̄si tres pinnas sic tres den-
tes habens.
Triduū. dui. n. g. i. spaciū triū diez.
Triennis. p̄. t. ⁊ h̄ ne. i. triū annoz. In triē-
nium. nū. spaciū triū annoz. Vñ. ij. Ma-
chab. iij. Et post triēniū tps misit Jason
Benelaum.
Triens. entis. i. tertia ps assis vel denarij.
vel alicui⁹ rei. vel vas. S̄z p̄ vase videtur
cōponi a tris ⁊ dēs. indetriens. i. vas tres
pinnas. q̄si tres dētes h̄ns. Vñ p̄ersi⁹ La-
lidū trientē excutit e manib⁹.
Trieris. ris. f. g. magna nauis. a trib⁹ sessio-
nibus. q̄si tres habēs ordines remozū. q̄m
gr̄ci durconē vocāt. Vñ Esa. xxxij. Ne-
q̄ trieris magna trāsgrediet eū. Itēz Da-
nielis. xj. Et veniet sup eū trieres ⁊ roma-
ni. ⁊ cor. e. Vñ q̄dā. Triplex remozū trie-
res mouet ⁊ iuuat ordo.
Trifaux. faul. ois ge. ⁊ hic ⁊ h̄c trifaucis.
⁊ hoc ce. i. habēs tres fauces. ⁊ tria ora. vt
Cerber⁹ ⁊ ianitor inferni. Vñ Virgilius.
Cerber⁹ hinc ingens latratu regna trifau-
ci. p̄ersonat ⁊c.
Trifidus. da. dū. vide. s̄. in fidus.
Trifoliū. lij est herba quam gr̄ci tripholō
vocant. quia sit trinis folijs p̄ singulas an-
notationes.
Triformis. mis. p̄. t. ⁊ h̄ me. i. triū formarū

Trifurcifer. ra. rü. penl. cor. portari^o q̄ habet tres furcas. vel instrū trifurcatum ad onus gerendū.

Triga. ge. f. g. i. curr^o Plutonis. 7 d̄ a tris 7 iugū. q̄ rapit hoies de trib^o etatib^o.

Trigam^o. ma. mū. q̄ vel q̄ trib^o nupsit. In d̄ trigamia. mic. i. tres nuptie vel pp̄ietas. q̄ aliq̄s d̄ trigam^o.

Triginta ois ge. indecl. d̄ a tris. 7 gentos qd̄ ē decē. q̄si ter decē. In trigies 7 tricies aduer. i. triginta vicib^o. Et tricē^o. na. nū. i. i. trigen^o. na. nū. In d̄ tricenari^o. ria. rü. 7 trigenari^o. ria. rü. 7 tricesim^o. ma. mū. 7 trigesim^o. ma. mū. In h̄ 7 hec tricesimal. 7 h̄ le. 7 trigesimalis. 7 h̄ le.

Trigonū. ni. i. triāgulū. qd̄ in tres ducit angulos. vt ter tria. vel ter quattuor vel ter quinquaginta rē. fm̄ p̄p̄. 7 cor. pe.

Trilibris. p. t. 7 h̄ bre. i. triū librarū pond^o vel mensura. 7 pdu. li. sic libra.

Trilinguis. vide. s̄. in bilinguis.

Trilix vide. s̄. bilix.

Trimatus. tus. tui. penl. pdu. spaciū triuz
Trimegist^o. sti. m. g. i. ter maxim^o (annoz q̄ tres h̄z. f. p̄tates. vel q̄ ter est in p̄tate eleuatus. 7 d̄ a tris. 7 megistus. qd̄ est maximus. Unde mercuri^o ob virtutē 7 multaz artū scienciā trimegistus. i. ter maxim^o nominatus est.

Trimensis. p. t. 7 h̄ se. i. triū mensū. qd̄ aliē trimestris. stre. d̄. In trimēse d̄ qd̄ d̄ genus ordeī. q̄ satū p^o tres mēses colligitur. Nā vbi p̄pter aquā v̄ aliā cām matura satio omīssa ē. p̄sidiū ad h̄ petiē q̄ cū nccitas cogit verno tpe seminat. 7 celerit colligit. q̄ post tres menses.

Trim^o. ma. mū. i. triū annoz. 7 d̄ a tris. et annus. q̄i triann^o. Un̄ Gen. xv. Sume mihi inqt̄ vaccā triēnē 7 caprā trimā. In trimulus. la. lū. fm̄ l̄ugl.

Trinacria. criē. f. g. i. sicilia. a trib^o mōtib^o. sc̄ pachyno. lilibeo. 7 peloro. Eadem d̄ 7 triquatra. q̄si triquadra. i. in tres quadral diuisa. p̄pter tres p̄dictos montes. Trinacria q̄ ē grecū. s̄ triquatra latinū. 7 eq̄pollent Unde Oratius in libro sermo. Quid militib^o p̄missa triquatra p̄dia cesar. In d̄ trinacrius. cria. criū. 7 trinacrin^o. na. num. 7 triquatrius. tria. triū. 7 triq̄trin^o. na. nū. i. siciliensis.

Trinepos. ē abnepotis fili^o.

Trinoctiū. tū. i. spaciū triū noctiū.

Trinodis. p. t. 7 h̄ de. i. triū nodoruz. i. tres h̄ns nodos. In h̄ trinodiū. d̄j. Et pdu. no.

Un̄ Quid^o epi. Ossa mei fratris claua p̄ fracta trinodi.

Trinus. na. nū. d̄ a tris 7 vnus. q̄si triun^o. In trinitas. tat. q̄i triunitas. eo q̄ sit vnū totū in trib^o p̄sonis. Et trinari^o. ria. rü.

Trio. onis. i. bos. q̄si terio.

Triphon. phonis. pp̄iū nomē viri. De q̄ habet. j. Achab. xv. 7 pdu. pe. gti. Un̄ in Aurora. Lōtra Triphonē tunc rex De metrius ibat. Itē idē. Antiochū Triphō h̄ tpe pdere captat. qd̄ multi dicūt 7 tunc vltima nti acut. vt Salomon. Alij dicūt q̄ penl. gti. cor. 7 vltima nti grauatur. vt Triphon. phonis. sic canon. nonis. 7 Simon. monis. Vel pōt declinari sine. n. hic Tripho. 7 tunc gtūs pdu. pe. Triphonis sicut Sīmo. monis. sermo. monis.

Tripolis. lis. f. g. qd̄ regio. dicta a trib^o ciuitatib^o. eo q̄ habeat sub se tres ciuitates 7 cor. po. In tripolitan^o. na. nū. Et hic tripolitan^o. ni. sc̄z d̄ns vel epus illi^o ciuitatis vel puincie siue regionis.

Tripos. dis. m. g. i. mēsa vel scānū. vel aliō instrū tres h̄ns pedes. Si enī q̄tuor habet pedes. im̄ pp̄ie d̄ tripos. Itē fm̄ Remigiū. Tripos ē qd̄ spēs lauri. sic d̄cā. q̄ trifida h̄z folia. v̄ q̄ trib^o radicib^o adheret terre. Et ē p̄secrata Apollini deo diuinati onis. q̄ supposita capitib^o dormientiū vera facit somnia apparere. vñ 7 sepe ponit p̄ imagine Appollinis. Un̄ p̄ristian^o in p̄mo. Et epigrāmata q̄ egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis. S̄z cū sit nomē arboris videt q̄ debeat eē ge. se. alias ge. mas.

Triptotus. ta. tū. nomē h̄ns tres casus. vt Iesus Iesum Iesu.

Tripudiū. d̄j. n. g. i. plausus. 7 maxime ille q̄ solet fieri in triūpho pcutiendo terrā pedibus. Un̄ 7 p̄ triūpho q̄nq̄ d̄. Et d̄ tripudiū. q̄i terre podiū. i. plausus. vel repercussio terre. Vel tripudium componitur a terra. 7 pes pedis. quasi plausus 7 exultatio facta pcutiendo terram pedibus. Sed ponit simpliciter p̄ leticia 7 exultatiōe gaudio vel victoria.

Triremis. mis. f. g. i. nauis q̄ tres ordines remoz habet. 7 pdu. pe. Un̄ Oratius in p̄ma epla. Nauseat vt locuples quē ducit p̄ma triremis. Itē adiectiue inuenit h̄ 7 hec triremis. 7 h̄ me. Un̄. j. Achab. iij. Ba te sunt in fabricā nauū triemiū.

Tris gr̄ce latine d̄ tria. Facit etiam actūs de tres. hos 7 has tres vel tris. et hec tria

Tristegū. gī. dī. locus tricamerat⁹. Und in edificatiōe arce. vbi nos dicim⁹. Lenacula ⁊ tristega facies in ea. habet alia translatō Bicamerata ⁊ tricamerata. Ihabuit ei qñ qz cameras q̄s Aug⁹. etiā pter sentinā dīc ibi fuisse. de quib⁹ in historijs plenius inuenitur.

Tristis. ⁊. t. ⁊ h. ste. i. mēst⁹. amar⁹. afflic⁹. ⁊ dī a tero. ris. q̄si trit⁹ stās. ⁊ ē etymo. In hec tristicia. cie. i. meroz. lamētatio. fletus plorat⁹. Et cōponit tristis. Subtristis. ste. i. aliq̄tulū tristis. Quā tristī. i. valde tristis. Tristison⁹. na. nū. Et tristific⁹. ca. cū. pe. cor.

Tritheoite. dicti sunt q̄daz heretici. qz sic tres psonas in trinitate. ita asserūt tres deos esse. ptra illud qd scriptū ē. Audi israel dñs de⁹ tu⁹ vn⁹ est.

Triticū. ci. n. g. i. frumētū ⁊ dī a tritura. eo qz purissimū tundat. vel qz granū ei⁹ terit ⁊ cōmolit. In tritice⁹. cea. ceū. vt Iste panis ē triticeus. i. de tritico.

Trinilis. lis. ⁊. t. ⁊ h. le. qd pōt teri. vel habile ē ad terendū.

Triton. de⁹ maris a paganis dī. vel dī gen⁹ marine fere. ⁊ interpretat sonās. vel terens.

Tritura. re. f. g. i. messis. ⁊ dī a tero. ris. qz terit in aera.

Tritus. ta. tū. i. cōminur⁹. cōfract⁹. In hec tritio. onis. i. cōminutio.

Triuia. uie. i. diana. ⁊ dī a tris. ⁊ via ppter tres ei⁹ vias. i. p̄ates. Est em̄ diana in siluis. luna in celo. pserpina in inferno.

Triuiū. uij. cōponit a tris. ⁊ via. cū q̄ etiaz cōponit bis ⁊ q̄ttuor. ⁊ dī h. biuiū. uij. hoc triuiū. uij. h. q̄druuiū. uij. f. loc⁹ vbi due vltres vlt̄ttuor vie pueniūt ⁊ tendūt ad idē In h. ⁊ hec biuiat. ⁊ h. le. ⁊ h. ⁊ hec triuiat ⁊ h. le. ⁊ h. ⁊ hec q̄druuiat. ⁊ h. le. qd p̄tinet ad biuiū triuiū q̄druuiū. Et biuiatiz. triuiatim. q̄druuiatim. adū. i. p. biuia. triuia q̄druuia. Et nō qz grammatica dialetica. et rhetorica. dicunt triuiū qdā similitudine. q̄si triplex via ad idē. i. ad eloquentiā. Arithmetica vō musica ⁊ geometria ⁊ astronomia dicunt quadruuiū. q̄i q̄ttuor vie i idē. i. ad sapientiā tēdētes. Vñ ⁊ triuiales dicunt. q̄ docēt vel q̄ studēt in triuiū sic quadruuiales q̄ in quadruuiū.

Triūphus. pbi. m. g. i. victoria vlt̄ triplex leticia. ⁊ dī a tris. ⁊ phonos. qd ē sonus quasi trinus sonus. i. triplex gaudiū. qd fiebat alicui p subiugatione ciuitatis vlt̄ regiōis Nā reuertenti solebat totus ppl⁹ exire ob

uiam victori. cum magno exultatione ⁊ cū magno gaudio. ⁊ h. erat p̄ma leticia. Alia erat qz oēs captiui sequebant vel precedebant currum eius ligatis manibus eorum post terga. Tertia leticia erat. qz erat ipse indutus tunica Iouis. ⁊ sedebat in curru quem trahebant quattuor equi albi. Und Quidi⁹. Quattuor in niueis aureis ibis equis. Et cum tanto honore ducebatur ad capitoliū. Ihabuit em̄ molestiā habebat. quia ponebatur quidā seruus vna in curru cū eo ⁊ semp colaphicabat triumphantē. ne ipse nimis sup̄biret. Et etiam ideo. vt daretur spes vniciūqz quātūcūqz villis cōditionis eēt pueniendi ad silem honore si probitas sua mereret. Et dicebat ei sp. Vñotofolitos. i. te ipsum cognosce. Vel triumph⁹ dī a greco triambos. i. a triplici exultatione eius cui triumphus dabatur vt dictum est. Vel triambos dicit̄ triplex iudiciū. Inde triūphus. q̄si a triplici iudicio. Fiebat em̄ in exhibitione triūphi triplex iudiciū. p̄m em̄ p̄sulebatur exercit⁹. scdo senat⁹. etio populus. Et si assentirent. habitū erat iudiciū triplex. Itē triūph⁹ p̄prie dī plena et p̄fecta victoria. qñ. f. q̄s p̄fecte hostes vincit. Sic tropheū qñ solū eos fugat.

Triuuir. q̄ sup tres viros hz p̄tatem nomē est dignitatis.

Triūphiri capitales dicunt. q̄ carceris habebant custodiā. qz interuētū aiaduerten dū erat in quosqz hoīes facinorosos. quos etiā dicim⁹ stratores a stringendo. quia in carcere custodiēdos ⁊ reos damnatos puniebant.

Troas. adis. femina de troia. ⁊ cor. pe. gti.

Trochea. chee. i. torcular vel rota modica sup puteū. vel illud qd apponit malo nauis. ⁊ dī a trochos. qd ē rota. qz habet rotulas p q̄s funes trahunt.

Troche⁹. chei. ē pes p̄stās ex longa ⁊ breui vt Audit. ⁊ dī a trochos. eo qz cito q̄si rota currat ⁊ voluat. Vel dī a trocho qz sic trochus p̄stat ex duabus p̄tibus. f. vna grossa ⁊ altera tenui. ita troche⁹ p̄stat ex duabus syllabis. scz vna longa ⁊ altera breui. In trocheicus. ca. cū.

Trochos grece latine dī rota.

Trochus. chi. m. g. ē instrumentū q̄ ludunt pueri. ⁊ dī a trochos. qz cito ad modū rote voluit. ⁊ ad modū rote rotund⁹ ē. Und Lato. Trocho lude. Ildic etiam aliter dicitur tropillus.

Trophinius. nū. pe. cor. p̄p̄riū nomen viri

Trogo. penl. pdu. gens ethiopu. ideo dicti. qz adeo veloces sunt. vt feras cursu pedu assequantur.

Troia. troie. qdam ciuitas. et ibi. j. duplex psonans. et dicitur a tros. In troian. na. nu.

Troigena. ne. cois ge. nat de troia. vel de troiano. et cor. ge.

Tropheu. pheu. i. spoliu ab hoste in fugam puerfo ereptu. Et trophiu victoria de hoste in fuga puerfo. et exultatio vel leticia siue honor q dabat alicui ppter hoste in fuga puerfu. Et erat talis honor. q tot ppls exibat ei obuia. et cu leticia cu introducebat i ciuitate. Un qda. hostes in bellis quando dant terga trophiu. Et re.

Tropos grece. latine dicitur puerfio.

Tropus. pi. m. g. qda cant in ecclesia. a conuersione sic dictus.

Tropic. ca. cu. i. figuratiu. et cor. pi.

Tropologia. gie. e puerfio ad aliquem psecu da psona. vt dicitur e salus. et sup pplm tuuz bndictio tua. Et dicitur a tropos qd est conuersio. et logos sermo. quasi sermonis prius habiti conuersio. Et est eadem cum apostrophia. Hugl. etiam dicit q tropologia est excusatio vel sensus spualis vel moralis et figuratiua intelligentia. vel locutio. vlemendatio vite. In tropologicus. ca. cu. Et tropologice adu. Et tropologice. cas. et tropologico. cas. i. tropologice loqui. Papias aut dicit. Tropologia. moralis instructio. ad instructionem et correptionem moru siue apertis. siue figuratis sermonibus p-lata.

Tropus. pi. figura moralitatis. modus loquedi. vt cu aliquis loquit metaphoric. vel periphraſtice. vel alio tali modo. fm Hugl.

Tros et **Ilus**. frs fuerut. et reges troiani.

Truculer. ta. tu. i. plen truciditate. crudelis. asper. ferus. et dicitur a trux. et lentos.

Truculentus. ta. tu. idem.

Trudes. dis. f. g. dicitur a trudo. dis. Et dicuntur trudes. fustes ferrati. scz conchi. eo q trudent naues.

Trulla. le. f. g. i. bombus vel sibilus ani. et dicitur a trudo. qz trudento emittit. Itē trulla dicitur qda vas fictile. Itē trulla e qda instrumētarioz ferreū latu ad coplanandum muru. et ad lapides cu calce coponēdos et iungendos. qz trudit et detrudit et itrudit calce vel luto lapides. Un Amos. vij. Et in manu ei trulla cementarij.

Truncus. ci. i. sine capite. scz statura arbori

insistens radici. **Trunc** bois e media pars corporis a collo ad inguinē. Un Virgili caput collo vehit. truncus coris sustinetur. Et genub et crurib et. In trunc. ca. cu. i. diminut. semipcius. sine capite.

Truta. te. qda pisci. et dicitur a trudo. qz vim hz trudenti. vel qz sp more obstrusa.

Trutan. ni. m. g. dicitur a trudo. dis. eo q verbis suis trumat ad h q decipiat. Facit em credi. qd vez n e. In hec trutania. nie. Et hic trutannulus. li. dimi. Et trutannicus. ca. cu.

Trutina. ne. i. statera. f. lingua libre. et dicitur a trudo. dis. qz sp trudit foras. vl partica p trasuersum posita. qz trumat sursum. In hec trutinula. le. et trutinella. le. ambo dimi. i. pua trutina.

Trux. cis. i. crudelis. auster. ferus. inextorabilis. horrendus. Et cor. v. an. c. Unde Ouidius epi. Quid eris tauro senior ipse truci. Itē Orati in pma epla. Ire truces inimicitias et funebre bellu.

ante B

Tuba. be. f. g. dicitur qsi tibia. qz e silis ei et longitudine et in specie. Vel tuba qsi tula. qz tuba pcaua e. Et nota q tuba legalis de q habet Mueri. x. erat vt dicit Iosephus. fistula cantatoria pene magnitudine cubiti. calamo capacioz. pbens in principio latitudinē. q pueniebat ori suo ad susceptionem spūs. q hebraice dicitur asora. Et sic dicitur in hystorijs. Tuba habebat quattuor vsus ad vocandū multitudinem. ad mouenda castra ad bella. ad festa. Un em solenne habebat epulum. et dies festos. et kalendas. clangebant. Un in ps. Buccinate in conuentu tuba. Un. Legalis pplm tuba clagore vocabat. In bellis castris. festisq sonora tonabat.

Tuber. berl. m. g. i. fūg. et dicitur a tumeo. mes. qz ex tumore terre pdeat. Un tubera q tu mera. i. qsi tumores tre. Et ponit sepe pro tumore. et p pto generalit. Un Terentius in adelphis. Colaphis e tuber totu caput. In tuberosus. sa. su. i. tuberib plen. iflatus. supb. In hec tuberositas. tatis. iflatus. vel supbia.

Tubianei. dicebant iudei illi q ex alienigenis puocati in auxilium. Jude venerant. Et dicebant tubianei. q tubis pducti. Et pdu. ne. hoc vult glo. ij. Achab. xij. super illud. Et venerut in caratha ad eos q dicunt tubianei iudei.

Tubicen. cinis. m. g. q. canit cū tuba. 7 cor.
penl. tam nri q. gti.
Tubicina. ne. f. g. mulier q. canit cū tuba.
Tucetū. ti. n. g. d. cib. q. fit ex carniū 7 tusio
ne. sic falcicia ē. Un̄ Persi. Sz grādes pa
tine tucetaq. grassa. In h̄ tucetari. rj. qui
cibū illum facit.
Tucus. ci. gen. ē auis. f. cuculus.
Tudes. dis. vel tudar. i. malle. Un̄ tuda
tos. dicim. illos q. habent capita grossata
ad modū mallei grossi.
Tuguriū. rj. d. eē tectū qd reb. v. banis vl
rusticis custodiendis ē deputatuz. Vel d.
oē edificiū qd magis cōpetit rusticis q. v.
banis edib. 7 d. q. i. tegulariū. eo q. tegat.
ff. de. v. sig. l. dom.
Tulli. lj. p. duo. l. p. priū nomē cuiusdā vi
ri. Un̄ Lucan. in. vij. Tulli. eloquiū cuius
sub iure togaq.
Tumētū. ti. n. g. d. a tumeo. mes. q. in filo
vel telo tumeat nec subtilitatē habeat. In
tumētusosus. fa. sū. i. tumento plen.
Tumidul. la. lū. i. aliq. tulū tumid.
Tumid. da. dū. i. inflat. supb. irat. In d.
tumiditas. tat. Et differt tumid. 7 tumēs
q. tumid. ē q. sp. tumet. Tumēs vō q. ad tē
pus ex aliq. causa tumet.
Tumor. oris. m. g. ē inflatio vel supbia cuz
motive corpis. vl iracūdia. In tumoros.
fa. sū. i. tumoribus plen. In d. tumorosi
tas. tatis.
Tumultuari. ria. riū. d. a tumultuor. aris.
Et hinc tumultuarij dicebant milites vel
pedites q. p. solo tumulto ducebant in pre
lium. vel q. subito 7 cū tumultu exeunt cō
tra hostes ex im. puiso veniētes. Un̄ 7 illd.
genus militie d. tumult. vel tumultuatio
vel coniuratio.
Tumult. tus. i. seditio. 7 iuratio diuersorū
garrir. q. si tumor. mult. In tumultuosus
fa. sū. i. tumultu plen.
Tumul. li. m. g. mons brevis vel sepulcrū
vel terra 7 gesta supra sepulcrū. 7 dicif tu
mulus. q. i. tumēs tellus. In tumullul. li.
dimi. i. pu. tumul. Et tumulosus. fa. sū.
i. tumulis plen. Un̄. Mons brevis ē tu
mulus. bustū. cōgesta q. tellus.
Tunica. ce. f. g. vesti antiq. ssima appellata.
q. in motu incedentis sonū facit. 7 d. a to
nus q. si tonica. Primū em̄ fuerūt pellice
tunice. q. b. post eiectionē de paradiso adā
7 eua induti sunt. In d. tunicella. le. dimi.
i. pua tunica. Et tunicar. ta. tū. i. tunica i
dutus. vel tunicā h̄ns. Et tunicosus. fa. sū

id ē. tunicis plenus.
Tunicula. le. dimi. i. pua tunica.
Turba. be. i. turbatio. 7 d. a turbo. as. Itē
turba ē ppli multitudo. Sz multitudo nūe
ro fit. Turba tm̄ in loco. In d. em̄ pauci in
angusto turbā facere. Et est turba nomen
collectiū. 7 pōt recipe verbū plis numeri
7 adiectiū i. plis numero 7 i. diuersitate ge
neris. 7 h̄ rōne significationis. Unde Joh. vij.
Sed turba hec quez nō nouit legem. ma
ledicti sunt.
Turbella. le. i. turbatio. 7 d. a turba. Un̄
Aug. de ciui. dei. Dem motū cordis 7 sa
lū. oēs q. turbellas fluitare asserit. 7 p. bel.
Turbidus. da. dū. d. q. i. terbid. i. fra cōmi
xtus. f. fece. 7 d. a turbo. bas.
Turbo. binis. m. g. pe. cor. gti. d. a terra qd
antiq. dicebat. h̄ turben. binis. Et ē turbo
vel turben. vertigo volubilitatis v̄toruz
dict. a terra. q. q. i. talis vent. cōsurgit.
terrā in circūitu mittit. In turbineus. nea
neū. i. turbinosus. fa. sū.
Turbulent. ta. tū. 7 turbulēs. tis. f. turbi
dus. nō lucid. Sz turbidū de nasa. Tur
bulentū vō fit ex accidenti. In turbulente
vel turbulent. adū. Et hec turbulētia. tie.
Turdela. le. qdā auis. q. si maior turd. 7 d.
a turdus. cui. turdele sterē. viscū genera
re d. fm̄ l. hugl.
Turdus. di. qdā auis. 7 d. a tard. eo q. tar
de volet. vel q. tarde se referat. f. in fine au
tumni. In turdin. na. nū. penl. pō.
Turgid. da. dū. i. inflat. tumid. irat. In
hec turgiditas. tatis. Et turgidul. la. lū.
i. aliq. tulū turgidus.
Turgiolū. li. n. g. d. vas interi. grossū 7 tur
gidum. 7 cor. o.
Turgo. gois. m. g. i. tumor. turgiditas.
Turma. me. f. g. societas hoim. 7 pprie tri
ginta. f. ala. Sz ala p̄tinet triginta milites.
Turma triginta pedites. In turmatim ad
uer. sicut a turba turbatim.
Turmella. le. dimi. i. pua turma.
Turmula. le. dimi. idē 7 cor. mu.
Turonis. ciuitas ē. 7 cor. pe. sic lagonis.
Turpiloqu. qua. quū. pe. cor. i. turpia lo
quens. In h̄ turpiloquiū. quij. turpis lo
cutio.
Turpilucrus. cra. crū. i. turpiter lucrū faci
ens. In h̄ turpilucruz. cri. turpis acq̄sitio
lucri. 7 cor. lu. naturaliter.
Turpis. pis. p. t. 7 h̄ pe. i. iformis. 7 d. a to
peo. pes. eo q. torpeat. In turpitudine. di
nis. i. macula deformitas.

Turris. ris. f. g. d. a teres. retis. qd ē longū
 ⁊ rotundū. Et turres dicūt. q̄si teretes. qz
 longe sint ⁊ recte ⁊ pcul rotūde vident lī-
 cet qñqz sint quadrate vel late vel dicunt
 a tueor. eris. qz p̄bēt defensionē. In turri-
 tus. ta. tū. i. turrib⁹ plenus. ad modū turrī
 disposit⁹. ⁊ pd. pe. Et turricla. lē. dimi. i.
 parua turris. Item turris gregis dicebat
 f̄m hieronymū. locus vbi Jacob greges
 suos pavit nomen loco inde relinquens.
Turris vero custoduz dicebatur vbi custo-
 des positi erant ad custodiendā puinciaz
Turtur. turis. a sono vocis nomē habet ge-
 nus avis ē. In turturū. na. nū. pe. p. Et
 declinat h turtur turturis epicēni generis
 pe. gti. cor. ⁊ sub vno genere ⁊ sub vno arti-
 culo cōprehēdit aialia vtriusqz sex⁹. p̄dōt
 q̄ dici Alba aquila. ⁊ vn⁹ turtur. tā p ma-
 re q̄ p femina.
Turturi dicunt pastores q̄ fistulis canunt.
Tus. turis. vide. s. in thus aspirato.
Tuscia. scie. qdā ps italie. a frequētia turis
 ⁊ sacroz dicta. Eadē ⁊ turrhenia a Turre
 no fratre Tydi. In tusc⁹. ca. cū. gētile.
Tussis. sis. f. g. est cōmotio pulmonis expi-
 rans cū sonitu. ⁊ d. a tundo. dis. qz tūdit
 pectus. Vel d. a ton. i. ab altitudine. qz a
 pfundo pectoris veniat.
Tutamen. minis. i. tutamētū. ⁊ pd. pe. nti.
 sed cor. pe. gti.
Tutela. lē. f. g. i. defensio. ⁊ d. a tueor. eris.
 Et ē tutela in liberū caput alicui⁹ q̄ ppter
 etatē. nec se nec sua defendere pōt. Tutela
 dabat liberis. patron⁹. scruiis.
Tutela f̄m Aco. in sū. ē vis ⁊ prās in capi-
 telibero. ad tuendū eū q̄ ppter etatē suā spō-
 te se tueri neq̄t. a iure ciuili data ac pmissa
 vt Insti. de tute. s. ē aut. Vis aut dico de
 facto. ⁊ prās de iure. vt talis sit tutor q̄ p-
 pria imbecillitate nō impediā. nec a iuris-
 dictione repellā. quales sunt pupill⁹. fu-
 riosus. ⁊ q̄ ppetuo morbo laborāt Illi p-
 pter imbecillitatem corpis vel animi tuto-
 res cē nō pnt. Sz femine q̄ quis sciant res
 administrare pupillares. ⁊ ad id expedien-
 dum vires habeant. tñ a iure institutionū
 nō admittunt.
Tutela testamētaria. ē qñ pat dat filio tuto-
 rem in testamento.
Tutela datiuā ē. qñ vn⁹ datus ē tutor filio
 in testamento. ⁊ vnus ex tantib⁹ p̄sanguī-
 neis idoneis ad tutelā iudex ex officio suo
 dat tutorem.
Tutela legitima ē. que deferē a lege f̄m qm

nullus datus ē.
Tutor ē q̄ pupillū vel pupillā morte patris
 vel emancipatione sui iuris factū vl factā
 tuel. Differt āt a curatore. qz tutor dat im-
 puberi. curator vō puberi. vl adulto. f. fu-
 rioso. pdigo. surdo. muto. ⁊ filib⁹. q̄ rebus
 suis pesse nō pnt. Itē tutor qñqz dat a iu-
 dice. qñqz a testatore. Dat em a testatore
 ⁊ pfirmat decreto iudicis vel p̄sidis Etā
 dat inuito. sed curator nō nisi volenti. p̄e-
 terqz ad litem.
Tutor fiduciari⁹. ē q̄ pupilli emācipati cui⁹
 pater q̄ eū emācipauit tutor erat legitim⁹.
 eo patre mortuo tutelā accipit. cū mortl tē-
 pore erat in patris prāte.
Tutor legitim⁹ ē q̄ lege p̄cipiēte pupilli nāci-
 scit tutelā. q̄les sūt p̄xiimi agnati ⁊ cognati.
 Regularitē em traditū ē f̄m leges vt ad
 quē spectat emolimentū hereditatis alicui⁹
 ius pupilli. ad eundē ptineat ⁊ onus tute-
 lē ei⁹. nisi forte sit mulier q̄ bñ vocat ad he-
 reditatē morientis. nō tñ ad tutelā supstiti
 qz tutrix esse nō pōt.
Tutor onerari⁹ ē. q̄ dat pupillo vt ipm de-
 fendat a vexationib⁹ aliozū. vel dat noui-
 tatis grā. vt alios tutores instruat. c. vene-
 rabilē. de elec. in glo. sup vbo aduocatis.
Tutor honorari⁹ d. dat cā honoris. nō ad-
 ministrationis. ⁊ tales nō habēt on⁹. vt re-
 ges. p̄ncipes. comites. barones. q̄b⁹ dimit-
 tunt filij cā honoris. ideo illoz tutela va-
 cationē nō p̄stat. Insti. de excusa. tu. vl cu-
 ra. s. Itē tria onera.
Tutor testamētari⁹ d. q̄ ex testamēto datur
 tutor filio a patre pupilli. f. q̄ actu in testa-
 mento noiat ⁊ assignat.
Tutor suspectus f̄m Aco i sum. L. co. ti. d.
 ille q̄ morib⁹ talis ē vt suspectus sit. nō em
 facultas ⁊ paup̄tas. fraudulentia. vel cal-
 lida puerlatio in reb⁹ pupillarib⁹ suspectū
 tutore cōmendat vel cōmittant.
W ante **W**
Alca. ce. f. g. i. bos. ⁊ d. a vacillo
 las. quasi vacilla ⁊ debilis respe-
 ctu tauri. Vel vacca d. a bos. q̄si
 boacca sic a leo leena. et a draco.
 dracena. In vaccin⁹. na. nū. Et h vaccari⁹
 rij. ⁊ hec vaccaria. rie. custos vaccarū. Et
 hec vacca. quedā ciuitas hispanie. ab abū-
 dantia vaccarum ita dicta. Alca etiā di-
 citur quedam ciuitas in india. In vacce⁹.
 cea. ceū. ⁊ h ⁊ hec vaccensis. ⁊ h se. Et scri-
 bitur p̄ gēminū. c. vacca et ab eo deriuata.
 B